



De  
**PAPA ROMANO,**

*Quæstio Iubilea,*

An sacer ille homo sit Anti-  
christus?

*Proposita in Disputationem publicam,,*  
à

**D. VINCENTIO SCHMVCK,**

SS. Theol. Prof. publ. & Superintend.

*Respondente*

**M. THOMA VVE INRI-**

*CHIO, SS. Theol. Baccalaureo, & ad D.*

*Nicol. Diacono,*

**L I P S I Æ,**

*Ad diem 7. Novembris, Anno conculcata-  
rum indulgentiarum seculari, qui est anno*

*Christo M. DC. XVII.*

T 16248

*Excudebat ANDREAS OSWALDUS.*





# DE ANTICHRISTO, THESES.

I.

**D**apam Romanum vocari Anti-  
christum, Jesuitis in Colloquio Ratisbo-  
nensi visum fuit intolerabile, adeoq; satis  
justa causa, cur colloquium abrumperent.  
An: 1601.  
Sess, 13.

II.

Rationes si quis desiderat, sunt in  
promptu, numero non paucæ.

1. Quia Jesuitæ sunt servi & satellites Papæ Romani, qui si  
Antichristus est, utiq; ipsis nihil cum Christo, quomodo ergo  
nomen societatis I E s utuebuntur.

III.

Fiet illis quod Luc. II. 23. dicitur, *Qui non est mecum  
contra me est, & qui mecum non colligit, dispergit.* Et apud Pau-  
lum I. Cor. 16. 22. Si quis non diligit Dominum Iesum Chri-  
stum, sit anathema. Id quod certissimè verum est.

IV.

2. Deinde Antichristus (ut dicunt) erit una tantum &  
singularis persona, nec regnabit nisi annis tribus & dimidio; secundum  
cùm Pontifices à Gregorio magno, post cuius & Mauritii Im-  
peratoris obitum degenerasse Episcopos Romanos in Papas  
sermo est, multi fuerint per successionem, & aliquot seculis  
jam rerum potiantur in Ecclesia.

V.

3. Præterea in Papam non eligitur Iudeus: Antichri-  
stus

A 2

stus autem ex antiqua traditione erit Iudæus, & de tribu Dan  
exurget. Quomodo igitur Papa sit Antichristus?

*VII.*

4. Antichristus in Babylonia nascetur. Papæ autem  
Babylonii non sunt, sed Europæi. Quomodo igitur Anti-  
christi?

*VIII.*

5. Antichristi pater erit perditio, dicitur enim filius perdi-  
tionis, 2. Thes, 2. quia concipietur (ajunt) ex parentū quidem  
seminibus, sed postea descendet Spiritus malignus in uterum  
matris, cuius virtute & operatione deinceps puer nascetur &  
aletur & adolescat. Verum tale quid de quoquam ex Papis  
vix demonstrabitur. Ergo Papa non est is, quem queritis.

*VIII.*

6. Antichristus veniet in Hierusalem & circumcidet se,  
dicens Judæis, se esse Christum sive Messiam illis promissum:  
Vnde plebs Judaica specialiter adhærebit ei. At Pontifici Ro-  
mano quid cum Judæis? quid cum circumcisione?

*IX.*

7. Antichristus non veniet nisi factâ defectione, sive destruc-  
tione regni Romani. At Romana Monarchia etiamnum ho-  
diè durat; ergo non est quod ex Papa facias Antichristum.

*X.*

8. Antichristus sedebit in templo DEI, tanquam ipse sit  
DEUS, & faciet se adorari. Quare templum Hierosolymita-  
num, quod Romani destruxerunt, prius est à Iudæis reædifi-  
candum, quam Antichristus adsit.

*XI.*

9. Affirmabit ante se nullum suisse Christum, sed Anti-  
christos, de se vero dicet, quod sit verus filius Dei, & filius ho-  
minis. Et (ut habet glossa 2. Thess. 2.) sicuti in Christo omnis  
plenitudo divinitatis habitat, ita in Antichristo plenitudo o-  
mnis iniquitatis: quare in ipso erit caput omnium malorum  
Diabolus. Sed quid hæc ad Papam, Patrem Patrū sanctissimū?

IO. An-



XII.

10. Antichristi mores erunt pessimi. Erit luxuriosus & in concupiscentiis mulierum Dan. 11. In aperto tamen per hypocrisim simulabit sanctitatem, ut facilimè decipere possit. Cor suum per superbiam magnificabitur, sicut dicitur Dan. 8. Contra principem principum consurget h. e. DEUM. Et ut dicit gl. super Danielem c. 8. in tantam elevabitur superbiam, quod leges & ceremonias mutare conabitur vel cursum temporum. Tantæ quoq; præsumptionis erit, quod non putabit se à Deo puniendum, propter hoc, quod judicium differtur, secundum illud, Ps. 10. Auferuntur judicia tua à facie ejus.

XIII

11. Erit etiam blasphemus, sicut est Apoc. 12. Vnde Da. 11, adversus DEUM Deorum loquetur magnifica.

XIV.

12. Item ad majorem Dei contumeliam faciet imaginem suam adorari, & omnes suo charactere signari in manu dextra & frontibus suis, sicut habetur in Apoc. 13. Atqui non sic Pontifices, non sic, absit ut hæc de Papa dicatur. Ergò non erit Antichristus.

XV.

13. Antichristus erit Ceraastes, Ge. 49. h.e. serpens cornutus: quia quatuor cornibus armabitur, scilicet, callidâ persuasione, miraculorum operatione, donorum largitione, & tormentorū exhibitione. Iam Papa non habet ista cornua. Ergò.

XVI.

14. Antichristus (ut est Psal. 10.) insidiabitur in abscondito quasi leo in spelunca. Vbi Glossa: Rectè Antichristus cōparatur Leoni existenti in spelunca: quia in eo vis & dolus operatur. Vis enim per Leonem, dolus per speluncam intelligitur. Sed Dominus Papa, Pater sanctissimus, hoc facere non præsumitur, Ergò.

XVII.

15. Antichristus faciet ignem de cœlo descendere in terram, h.e. malignum spiritum faciet descendere super discipulos suos, ut loquantur variis linguis. Spiritus n. malignus descendet in eos in conspectu hominum, sicut S. S. descendit

in Apostolos Christi. Unde jactabunt se esse meliores Aposto-  
lis Christi, qui Spiritum acceperunt in conclavi. Atqui Papa  
nullus hoc tentavit. Ergò.

XVIII.

Jesuitæ  
wissen das  
mit nicht  
vmbzuge-  
hen.

16. Prædicatores Antichristi discurrent per universas par-  
tes mundi, ut impedian, ne scriptura secundum veritatē ex-  
ponatur à Catholicis Doctoribus, vel à fidelibus audiatur, ipsi  
autem bonos se simulabunt, & tamen mala suadebunt. Jam ex  
Papæ asseclis quis tales prædicatores monstret? Ergò.

XIX.

17. Antichristus per artem magicam simulabit se mortu-  
um, & feretur à Dæmonibus in aera, quasi ascendat in cœlum,  
& sic putabitur, ab hominibus resurrexisse, qui prius mortuus  
putabatur, & tunc mirabuntur populi & adorabunt eum atq;  
laudabunt. Verūm hoc modo non illudunt Papę hominibus,  
moriuntur enim verè & descendunt in infernum. Ergo Papa  
non est Antichristus,

XX.

18. Antichristus decipiet per munera. Ipse namq; inveniet  
thesauros absconditos, per quos ad sequendum se inclinabit  
plurimos. Ditabit enim bonis divites hujus seculi, & tunc eo-  
rum falsam felicitatem ad decipiendum alios ostendet.

XXI.

19. Idem compellet per minas & tormenta, quos aliter vin-  
cere non poterit. Papa (inquiet) hoc non facit, Ergò.

XXII.

20. Inter occultum adventum Christi, qui est per nativita-  
tem, & manifestum adventum; qui est per prædicationem &  
apertam persecutionem, venient Elias & Enoch, & conver-  
tent multos ex Judæis. Hoc nondum factum, Ergò.

XXIII.

21. Antichristus Enochum & Eliam occidet in Jerusalem,  
& jacebunt corpora eorum in plateis tribus diebus & tribus  
nocti-

noctibus cum dimidio, quia nullus audebit corpora eorum  
sepelire propter metum Antichristi.

XXIV.

22. Idem post dies tres & dimidium resurgent, & eorum  
occisores audient vocem talē: Helia & Enoch ascendite huc,  
& ascendent in cœlum in nube. Antichristus verò quindecim  
diebus post mortem illorum regnabit. Sed hæc nondum eve-  
nerunt. Quis igitur dicet, Papam esse Antichristum?

XXV.

23. Tandem Dominus suâ potestate occidet Antichristum,  
sicut dicit Glossa sup. Apoc. sive per se, sive per Michaelem.  
Occidetur autem in monte oliveti in papilione & solio suo,  
in loco circa quem Dominus ascendit in cœlum. Sed de Papis  
nihil tale. Ergo.

XXVI.

Accedit 24. quod nomen Antichristi continebit in se nu-  
merum 666. Apoc. 13. Nullus autem Papa tale nomen gessit,  
Ergo.

XXVII.

Hæ rationes, numero sanè non paucæ, si veræ sunt, utique  
incogitantia imputabitur Theologis nostris, quod Papam di-  
xerunt Antichristum, nec mirum, si impatienter ista tulerunt  
Patres Societatis.

XXVIII.

Verūm quod pace ipsorum dicendum sit, Theologi nostri  
veniam merentur, qui à Luthero edocti Lutheranè & sense-  
runt & locuti sunt.

XXIX.

Didicerunt de rebus fidei judicare ex Scriptura, quæ &  
Christum monstrat, & ejus αντικείμενον Antichristum satis lu-  
culentè depingit. Quod si notæ in ea expressæ ad Papam:  
quid mirum si hunc & non aliud Antichristum agnoscimus,  
proclamamus, & pro eo, ac decet, totis animis aversamur &  
detestamur?

XXX. Ad

XXX.

Ad argumenta si respondendum sit, dicitur ad primum, illud totum concedi, & videant Patres, quā pietate nomē Iesu nominent, qui ab iniuitate non discedunt. 2. Tim. 2.19.

Examen  
notarum.

In secundo non admittitur id quod asseritur, Antichristum fore unam tantum & definitam personam, ita ut non possint sibi plures invicē in ista cathedra iniuitatis succedere. Neq; n. hoc scriptura dicit ullibi. Ergo à nobis credi non debet.

XXXI.

Tempus gubernationis Antichristi in Scripturis definiri annos tres & dimidium, vel quod idem est, menses quadraginta duos, vel dies 1260. ex Dan. c. 7. 25. c. 12. v. 7. 11. & ex Apocalypsi Iohannis c. 11. 2. c. 12. 6. & 14. & c. 13. 5. notum est. Verūm hīc non dies aut annos vulgares, sed angelicos, ubi dies pro anno sumitur, & mensis unus spaciū 30. annorum complectitur, intelligi oportere certum est, idq; vel ex magnitudine rerum, quas Antichristus justā D E I indignatio- ne effecturus sit, & quæ intra quatuor vulgares annos geri & perfici fuit impossibile, necessariō evincit.

XXXII.

Tertium argumentum fabula est, & non militat. Permittimus traditionē fuit traditoribus. Antichristo cū Iudaeis nihil.

XXXIII.

Eadem est ratio quarti, si Babylonem Asiaticam intelligas. Interim Babylon in Apocalypsi nobis cum Hieronymo, Tertulliano & Augustino, Roma est, & totus Papatus, propter abominandam confusionem, idolatriam, & peccata in cœlum clamantia, Apoc. 17. & 18.

XXXIV.

5. Papā filium esse perditionis in nostris Ecclesiis nemo dubitat. De conceptione Antichristi in utero materno, nisi forte tempus illud intelligas, quo ad Papatum pontifices aspirant, aut

aut sedem illam, cui certum est Spiritum sanctum non præsidere, occupant, solliciti esse non cupimus.

XXXVI.

6. Sedem Antichristi fore Hierosolymam, sacræ literæ non dicunt. Describunt autem urbem septi collem, quæ Roma est, civitas magna quæ habet regnum super reges terræ. Apoc. 17. 9. & ult. Sic apud Danielem Antichristus plantat tabernacula palatii sui inter duo maria (puta Tyrrhenum & Adriaticum) super montem inclytum & sanctum, hoc est in ipsa Ecclesia. Ibi igitur quærendus Antichristus.

XXXVII.

Interim Romam à S. Sancto non tantum vocari spiritu-aliter Sodomam, propter nefandas libidines, & Ægyptum, propter caliginem, & pressuras conscientiarum, sed & conferri cum ea urbe, in qua Dominus noster crucifixus est, propter sanguinem sanctorum & sanguinem martyrum I E s u, quo ebria est meretrix Babylonica, & propter quotidianam crucifixionem Christi in Missa idololatrica, ex Apoc. II. 8. scimus & libenter agnoscimus.

XXXVIII.

7. Antichristum non expectandum, nisi destructo regno Romano, esset contra Danielem: & vox defectionis seu διαστίας apud Paulum 2. Timoth. 2. 3. non de Romano imperio sed de fide loquitur, à qua deficient, attendantes Spiritibus impostoribus, ac doctrinis Dæmoniorum. 1. Tim. 4. 1. Quod in Papatu heu quam manifestè factum est?

XXXIX.

Quod autem ad majestatem imperii Romani, verè fuit illa τὸ κακόν 2. Thess. 2. 6, præ quo iniquus ille aperire se commodè non potuit, donec imminuto Occidentis Imperio, & sede Imperatoriâ translatâ vacantem Principatum invadere & ad se rapere Dei & hominum imperium tentavit, ut Chrysost. loquitur.

XL.

8. De templo DEI suaves sunt Jesuitæ, si ad Hierosolymitanum nos ablegent, & hoc prius reædificandum sentiant, quod non fiet usq; ad novissimum diem. Daniel. 9. 26. 27. Sed quidni ex usu Scripturæ Ecclesiam per templum DEI intelligunt, in qua Antichristus, intestinus hostis, tantum dñni daturus, quantum externorum nemo.

XLI.

Sedere porro in templo D'E I, cum arrogato sibi imperio, ostentare seipsum esse D E u M, & facere se adorari, vera sunt Antichristi *μωρείσματα*, & in Papa Romano nimis quam conspicua.

XLII.

9. Affirmare, ante se nullum fuisse Christum, nimis esset Iudaicum. Christum autem ore confiteri, in corde negare, & pro fabulâ reputare, quæ de Christo Evangelium prædicat, Papis novum aut insolens non est,

XLIII.

Dicere quòd sit verus filius DEI & filius hominis, Antichristus fortè vix audebit. Christi autem usurpare titulos & se nominare sponsum Ecclesiæ, caput Ecclesiæ, Pontificem maximum, sanctissimum, arrogare sibi potestatem in cœlo, terra & inferis, & in hujus rei signum gestare coronam trispicem, quis est qui ausit nisi Dominus Papa?

XLIV.

Referri tamen huc & illud poterit, quod quidam; Nec Deus es, nec homo, sed tertius inter utrumq;.

XLV.

Descriptio omnis plenitudinis iniquitatis in Antichristo omnino admittitur, & in Papâ (ni fallimur) absolute quadrat.

XLVI.

10. II. Mores Antichristi pessimos, ut sunt luxuria, superbia, præsumtio, blasphemia, utinam Jesuitæ à Papa suo amoliantur!

liantur! Sed quomodo tegent aut negabunt, quod totus mundus videt & loquitur?

XLVII.

Verba: erit in concupiscentiis mulierum Dan. II. ex antiqua versione transcripta sunt. In fontibus est: ad DEUM patrum suorum non adjicit animum, nec ad concupiscentiam mulierum: hoc est non curabit conjugium, nec vivet in legitimo matrimonio, & suis legitima conjugia non permittet. Quod ut Papam egregie facere manifestum est, ita singularis illa nota est, ex qua praeter ceteras Papa Antichristus a nostris Ecclesiis agnoscitur.

XLVIII.

12. De imagine bestiæ, quæ habentur Apoc. 12. v. 14. 15. non hoc dicunt, quod Antichristus suam aliquam statuam erecturus sit, quam adorari præcipiat, sed indubium habent respectum ad Papalia decreta, bullas & instituta, quæ ejus volunt esse autoritatis, ut oporteat ea sine tergiversatione cum veneratione recipi, approbari & teneri ab omnibus, non aliter ac si de cœlo profecta essent, eò quod Papa, ut ajunt, errare non possit, quod habeat potestatem faciendi & statuendi absolutam, quicquid velit, etiam contra Scripturam, contra Paulum & Evangelia &c. Quod an levius quiddam sit, quam si adorationem fictæ aut pictæ alicujus suæ imaginis vel centes præciperet, cordati omnes judicent.

XLIX.

Characterem porrò bestiæ quem faciet accipere, omnes, pusillos & magnos, & divites & pauperes, & liberos & servos, in manu sua dextera, aut in frontibus suis, & ne quis possit emere aut vendere nisi qui habeat characterem, aut nomen bestiæ, aut numerum nominis ejus, Apoc. 13. nostri simpliciter de chrismate, hoc est, exorcisato & consecrato oleo, quo Papa omnes & singulos vel in frontibus vel in manibus & scapulis pro discrimine personarum & officiorum

inungit, & sine quo Catholicum neminem agnoscit, deq; obligatione ad venerationem & obedientiam Papæ, &c. expoununt, nec ab hac sententia ullis Iesuitarum glossis se abduci patiuntur.

L.

13. Quatuor cornua AntiChristi, de quibus argumento XIIII. & quæ argumentis XIV. XVIII. & XIX. amplius describuntur, sunt ista Papatus Romani quatuor virtutes cardinales, in quibus Iesuitæ (utpote in quos artiumistarum quinta quasi essentia confluxit) ita excellunt, & vel pileorum suorum quatuor angulis eas præ se ferre digni habitis sint. Res certè plana est, & demonstratione non eget, & oportet Iesuitas admodum trepidare, si ista attingenda sint.

LII.

15. Ut Antichristus ita faciat ignem de cœlo descendere, ut discipuli sui impleantur Cacodæmone, & loquantur variis linguis, necessarium non est, neq; hoc dicit Apocalypsis: & solet malignus Spiritus etiam absq; visibili descensu Papas & Iesuitas occupare & inflare. Sed si ad fulmina excommunicationis, quæ Papa ejaculatur, & quibus antehac totum mundum terruit, ad ignis præterea supplicium, quo in confessores Evangelii in Papatu communiter sævitur, respicias, nihil erit obscuritatis, nec quod quæratur amplius.

LII.

16. A Prædicatoribus Antichristi, qui ibi describuntur, quam longè quæso absunt discursores Iesuitæ? An non agnoscent sui picturam? qui nihil minus ferre possunt, quam scripturæ secundum veritatem expositionem, quin eam è manibus omnium, si possibile sit, excussam cupiunt, suasores boni, sub egregiè ficta pietate, si bonum esse credendum est, quod verbo DEI & pietati omni simpliciter est contrarium.

LIII.

17. In arguento 17. credimus minorem veram esse. De ascensu Antichristi in aëra per artem magicam nihil in sacris.

Papas

Papas autem multos fuisse Magos , & ope Cacodæmonis per-  
venisse ad sedem Pontificiam , qua credunt hominem evehi  
ad idem consistorium cum Deo , & idem tribunal cum Chri-  
sto , & imperium etiam accipere in Angelos , historiæ probant ,  
& eatenus etiam illud *γνώσμα* evidenter completum erit .

LIV.

De 18. & 19. ut supra notatum , nihil attinet dicere , Res  
loquitur . Inventi sunt thesauri absconditi , effossione reli-  
quiarum sanctorum , & earum pro magno precio ostentatio-  
ne & venditione : apertione purgatorii , & repertis modis e-  
jus effugiendi : nundinationibus missarum , indulgentiarum  
& dispensationum variarum , taxâ peccatorum quam pœni-  
tentia vocat , & aliis artibus innumeris , unde Patrimonio Pe-  
tri tam locuples accessio , unde ista Cardinalium , Archiepi-  
scoporum , Episcoporum , Iesuitici insuper ordinis plusquam  
regales divitiae .

LV.

20. Henochum & Eliam expectandum esse , antequam  
Antichristus veniat , & quod sint conversuri multos ex Iu-  
dæis , scriptura habet nullibi . Quomodo ergo ad notas An-  
tichristi ?

LVI.

21. Quod autem Apoc . II . de duobus dicitur testibus ,  
prophetaturis diebus mille ducentis sexaginta , hoc est , to-  
to illo tempore , quo Antichristus regnabit , & in quas insur-  
get violentia bestiæ , quæ ascendit de abyssō , &c , denotantur  
per illos non Enoch & Elias , qui olim in cœlos transla-  
ti , bestiæ Romanæ non iterum objicientur māctandi , sed  
chorus testium veritatis , quos Deus subinde etiam in Papatu  
excitavit , ut prædicarent contra enormes abusus & errores  
Romanæ Ecclesiæ , sed quos Antichristus Romanus vicissim  
etiam acriter persecutus fuit , & in eos patravit ea , quæ ibi be-  
stiæ ex abyssō tribuuntur .

*LVII.*

22. Horum resurrectio & ascensio in cœlum in nube , est novus exortus lucis Evangelii, & plenaria manifestatio Anti-christi , quamnulla vis inhibere potuit , Deo præpotenter & manifesto miraculo pios Doctores Lutherum & ejus asseclas, qui Papæ hactenus restiterunt , tutante & placida tandem, morte contra omnem Papæ furorem ex hac vita ad cœlestia gaudia evocante .

*LVIII.*

23. Antichristum tandem occisum iri potestate Domini, certum est. Conficiet enim eum Spiritu oris sui , & abolebit claritate adventus sui . 2. Thes. 2. 8. & cùm attigerit finem suum, nemo ei auxiliabitur, Dan. 11. 45. Iudicium ejus jam olim non tardat, & perditio ejus non dormitat 2. Pet. 2. 3. In perditione suâ peribit, reportans mercedem injustitiæ ib. v. 12. cui caligo tenebrarum in æternum servata est, ibid. v. 17. & vadet in interitum Apoc. 17. 11. Quia fortis est Dominus & judicabit illum, cap. 18. 8.

*LIX.*

Ut autem securitatem sibi policeatur Papa, donec papilio-nem & solium suum collocet in monte Oliveti, in loco circa quem Dominus ascendit in cœlum , si in fabellis sibi quærit præsidium per nos licet. Inveniet eum manus Domini suo tempore, & cum dicent, pax & tuta omnia , tunc repentinus eis imminet interitus, sicuti dolor partus mulieri prægnanti, nec effugient 1. Thess. 5. 3.

*LX.*

24. Nomen Antichristi, quod contineat numerum bestiæ 666, non est quærendum in Papæ alicujus nomine proprio, sed oportet esse nomen, quod universis competit. Eiusmodi duo jam olim Irenæus reperit, Titan, & λαζαῖος. utrum velint Iesuitæ eligant.

Titan

#### LXI.

Titan Poetis Sole est: Pro Sole Papa se venditat, secundum illud: Fecit Deus duo luminaria magna, Solem i. e. Papam in dominium diei, hoc est spiritualis regiminis, & Lunam i. e. Cæsarem in dominium noctis i. e. temporalium. Unde sicut aurum excellit plumbum, sic dignitas Papalis excedit Imperialem: Et sicut Sol dicitur Pater omnium Planetary & Dominus, ita Papa est Pater omnium dignitatum: & sicut Luna recipit lumen à Sole, ita Imperialis dignitas à Papa. Scripsit Innocentius III. ad Constantinopolitanum Imperatorcm.

#### LXII.

Titanes Diis bellum intulisse scribuntur. Papa Deo & Christo bellum infert incessabile, cuius majestatem sibi arrogat, honori detrahit, verbum odit, conculcat & profexit, confessores trucidat, Sacra menta mutat, ordinationes convellit, oves devorat, & in domo DEI omnia facit prohibitu.

#### LXIII.

Magis tamen placet eruditis vox λαζέν<sup>GO</sup>, tanquam nota sedis Antichristi, & maternæ ejus linguae, quæ est latina, in quâ per Romanam Ecclesiam omnia peraguntur sacra, celebrantur missæ, decantantur Psalmi, recitantur Evangelia & Epistolæ, dantur indulgentiæ, omnia in curia Romana conficiuntur diplomata, dispensationes, inhibitiones, rescripta: deniq; etiam sacra Biblia usitatæ translationis sola canonisantur, & ipsis etiam Hebræis & Græcis fontibus præferruntur.

#### LXIV.

Ecce Lector, notas Antichristi, quas ipsi Pontificii agnoscunt, vidimus. In his si separaveris ab argento scorias, Prov. 25. 4. hoc est, à veritate fabulas, & rem ipsam æstimaveris,

maveris, quemadmodum præivimus, cogita tu & judica,  
num sit injuria dicere, Papa Romanus est ipsissimus Anti-  
christus?

L X V.


Pluribus & longè fusiūs hoc argumentum tractari pote-  
rat. Sed ratio tenenda est nostri instituti, pro quo nunc qui-  
dem ista sufficient.

L X VI.

D E o & Christo ejus, capiti & Sponso Ecclesiæ, Pontifici  
maximo & soli sanctissimo, sit laus, honor, virtus & potentia.  
Confusio Diabolo & Papæ Antichristo. A M E N.

F I N I S.







# Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
Inches  
Centimetres

